







DISPUTATIO X.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ Wittebergensi Academiâ
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE

PAVLO GRANTZIN
Leoburgense Pomerano.

Ad 21. Novembr. hor. à 7. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.

WITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidr, Sumptibus
Pauli Hellvigi Bibliop. Anno 1607.





ILLVSTRISSIMIS CELSISSIMIS
PRINCIPIBUS AC DOMINIS

Dn. BVGISLAO XIV.
Dn. GEORGIO III.

DVCIBVS STETINI POMERA-
niae, Cassubiorum & Vandalorum, Principi-
bus Rugiae, Comitibus Gutzkoviæ, nec
non D^{nis}. Leoburgensium & Buto-
viensium, &c. fratribus
germanis.

D^{nis} MEIS CLEMENTISSIMIS.

Dissertationem hanc Philosophicam

Humillimè offero
& consecro

Paulus Granzin. Pom.
Resp. & Autor.



QVÆSTIO I.

An medium in primâ figurâ sit quæ an verò
dicitur medium?



*V*M† ratiocinatio, teste Monlorio in paraphr. 1.
cap. 4. lib. 1. prior. analyt. inventa sit ad pro-
bandam quæstionem aliquam: Omnis autem quæ-
stio subiecto constet & attributo, tertium quippe
sumatur necesse est, cuius vi & iuterventu at-
tributum cum subiecto jungatur, aut ab eo sejun-
gatur; undè commodè medium appellatur, quod
suâ naturâ inter duo extrema quæstionis intercedat. Ac proinde vis
omnis & ratio cuiusque ratiocinationis ex solo medio petenda est. Non
enim sumi potest ex ipsis extremis, cum ex eis coalescat probanda con-
clusio, quæ aliunde vim probationis accipere non potest, nisi ex solo
medio. Iudicatur enim prima figura (sicut & reliquæ) non ex uti-
litate modi, sed sita medi. Zabar. lib. de 4. fig. Syllog. cap. 11.
Queritur ergò haut incommodè: An illud medium in primâ figu-
ra sit quæ, an verò dicitur medium?

In affirmantem † posterioris partis hujus quæstionis abit Ioh. 2.
Hospinianus, huic rationibus suffultus: 1. Quicquid non est opus
nature, illud naturâ medium esse nequit: At medium in primâ figu-
râ non est opus nature: Ergo. Minoris propositionis veritas ex
eo patet: Quia omne id, quod est ab instituto, non potest esse à natu-
râ: Sed medium in primâ figura est ab instituto humano: Ergo.
Minor rursus manifesta est: Natura semper uno & eodem modo
agit: Aristot. 2 Phys. cap. 8. text. 77. & 9. Metaph. cap. 2. tex.
9. Quod verò ab instituto oritur, illud diversimodè variari potest.
Sed positio medi termini in omnibus Syllogismis & materiis non sema-
per unum verbum est vel unum vocabulum: quandoquidem, una
conclusio variis modis probari & demonstrari potest. Ergo. 2. Omnis
ratio, omne nomen, & omne verbum, teste Aristot. lib. 1. *ἄξιον ἔμμεν.*
A 3 cap.

cap. 2. non quod est sed dicitur constant: Sed medium in prima figura est vel nomen, vel verbum, vel tota oratio. Ergo. 3. Quia id est discriminis inter medium prima figurae & aliarum figurarum, quod medium illius sit & positione medium est, in aliis non item, ubi tantum quod dicitur & ratione illationis medium dicitur: hic vero in prima figura non tantum illatione, sed etiam revera positione est medium. Aristotel. lib. 1. prior. anal. cap. 4. § 5. 4. Si medium naturam constat, extrema quoque natura consenti oportet. Ratio consequentia est: quia medium & extrema sunt relata. Relatorum autem eadem est natura & ratio. Arist. 1. Categ. c. 7. Sed hoc concesso, tunc Syllogismus opus naturae esse concedendum est. 5. Intra diversas Categorias nulla medi naturae dari potest: Sed Syllogismi ita possunt confici medium ex diversis Categoriis sumatur a majori & minori: Ergo medium non est natura.

3. Priori & parti hujus questionis rationes sunt subsequentes:
1. Quicquid ita disponitur, ut maxime competat ad naturalem sensum, id merito naturam esse dicitur: Sed medium prima figura ita disponitur: E. 2. Quicquid principiis Syllogisticis omnibus hominibus insuis, imprimis vero dicto de omni & nullo, exacte respondet, illud maxime naturale est. Sed medium prima figura est tale: Ergo. Keckerman. loco citato. Regius. lib. 4. disput. Log. problem. 6. pag. 191.

4. Pro & determinatione questionis advertendum Johann Hospinianum dupliciter vocabulum Naturae accipere. Dicitur enim aliquid esse naturam, vel quod est opus naturae, vel quod naturam imitatur. Quamvis vero medium in prima figura secundum posteriorem significationem possit dici medium natura: tamen cum non semper, sed tantum aliquando imitetur naturam (ut apparet in argumentationibus, quae constant exterminis convertibilibus) communior erit aliqua significatio, ac proinde medium in prima figura erit medium collocacione & non natura. Sed praeter hasce acceptationes etiam illa non est inconveniens, quod natura medium in prima figura contingat dici dupliciter: vel quod naturalem Syllogismum naturaliter nobiscum natum imitatur: vel quod naturam medi & ejus naturalem locum representat. Priori quidem respectu medium natura dicitur: siquidem Syllogismus naturaliter nobiscum natus hunc ordinem & processum observat, ut duos terminos per tertium tanquam per medium copulet, ita

ita ut semel cum maiore, semel cum minore cohereat: quem natura-
lem progressum prima figura maximè imitatur. Posteriori vero respe-
ctu natura medium dicitur: Sicut enim omne medium, quatenus me-
dium est, naturale n locum obtinet, ubi inter duo medium est, & qui-
dem positione: Ita quoque medium in prima figura, dum inter duo
extrema, maiorem nimirum & minorem terminum collocatur, mas-
ximè naturalem situm medii imitatur, ac proinde rectè & verè medi-
um natura dici potest.

Ex hoc itaque fundamento probè fixo & constituto argumen- 5.
ta Hospiniani facili negotio declinare possumus. Nam pleraque tan-
tum demonstrant medium in prima figura, non esse opus naturæ: ple-
raque vero medium illud non semper imitari naturam evincunt, cum
variis modis terminos convertibiles disponere possumus. Verum nos
medium non simpliciter dicimus naturam imitari, sed tertium illum
terminum in prima figura imitari naturam medi, & sic esse medium na-
tura imitatione. Si ut enim omne medium inter duo medium est, &
quidem in rebus quantis seu figuris (quas hac in parte figuræ Syllogis-
morum sequuntur, dum nimirum inter duo extrema medium collocant)
Ita quoque prima figura hoc facit & quidem sola. Nam secunda figu-
rali, et maiorem & minorem copulet, scilicet ex una parte affirmativè,
ex altera negativè: tamen medium locum ipsi non concedit, sed bis
pro predicato ponit, sicut tertia figura bis pro subiecto.

QVÆSTIO II.

An cœlum sit animatum?

Quoniam cœlum est causa efficiens & conservans omnium ani- 1.
malium sublunarium, & quia ex eo pendet totius mundi corporei ordo,
gubernatio & perfectio Pererius lib. 7. Phys. cap. 7. opinati sunt
nonnulli cœlum si esset inanimatum, nulla ratione posse producere &
procreare res animatas. Cujus opinionis patrocinium maximè suscipit
Plato, qui ita animam in cœlo collocat, ut revera materiam informet,
vivificet, vereque ac proprie animatum, adeoque animal efficiat. Et
ex antiquis subscribunt Anaxagoras (referente Laert. in ejus vita, &
D. August. lib. 18. de civit. Dei cap. 41.) Avicenna, Algazelus,

A 3

Alphar-

Alpharabius & Albumazar, sicuti annotant Da. Conimbr. lib. 2. de
Cael. c. 1. q. 1. art. 1.

2. Rationes † & testimonia hujus sue assertionis ex ipso Aristotele
producent plurima. Rationes sunt istae: 1. Quicquid movetur à se-
ipso, est animatum: nam moveri à seipso proprie animatorum esse te-
statum reliquit, Arist. lib. 8. Phys. cap. 4. text. 29 Plato lib. 10. de
leg. Sed caelum movetur à se, ut dicitur 8. Phys. Ergo est anima-
tum. Mercen. in suis dilucidat. Phys. pag. 76. 2. Si caelum non
est animatum, erit deterioris conditionis, quam corpora quadam ut
animantium & stirpium genera. Sed posterius est absurdum. Caelum
enim inter corpora naturalia longe est nobilissimum, teste Aristotel.
libr. 6. Ethic. cap. 7. §. 3. 1. de Cael. tex. 13. & libr. eodem text.
100. Ergo & prius. Verior 12. Metaph. quæst. 6. Conimbr. loco
supra citato. 3. Nullum inanimatum potest regere & conservare a-
nimatum: nihil enim agit ultra gradum perfectionis suæ, seu quod
idem est, nihil agit infra speciem suam. Aristot. lib. 7. Metaph. & 2.
de an. Sed caelum regit & conservat omnia Aristot. 1. 1. Meteor. 2.
cap. 2. Ergo est animatum. 4. Motus cæli aut est violentus aut
à natura, aut ab anima. Non violentus: quia nullum violentum est
perpetuum. Aristot. lib. 1. de cælo cap. 2. text. 16. Est enim præ-
ter naturam 2. de cælo cap. 3. text. 18. & sic esset corruptibile, quod
est contra Aristot. 1. de cælo tex. 20. Neque à natura: quia natu-
ra est determinata ad unum, ad quod, ubi pervenit, se sistit. Sed cæ-
lum ad diversa VBI & semper movetur. E. ab anima.

4. Testimonia † adferant sequentia. 1. Arist. 1. 2. de cælo. c. 2. t.
13. ait caelum esse animatum, & habere in se principium motus. 2. Af-
ferit Arist. lib. 12. Met. c. 7. primum principium movens orbis cæle-
stes, id est, primum motorem sive Deum movere, ut id quod cognosci-
tur, appetitur. Videtur igitur, orbibus cælestibus intellectum tribuisse
& appetitum, quibus primum motorem agnoscant amentque. 3. Huc
facere videtur illud Psalmi 136. vers. 5. Qui fecit cælos in intellectu,
id est, intellectu præditos.

5. Contrariam † vero sententiam, ut omnino veram, ita maxime
tuendam ultro arripimus: rationes enim & testimonia aequè firma nisi
validiora in promptu habemus. Rationes quidem tales. 1. Omne
ani-

animalium est corpus organicum: Arist. 2. de anim. c. 1. r. 6. *At cœlum non est organicum: quia in illo nulla organorum varietas aut distinctio cernitur. E. non est animatum.* Mercen. in suis dilucid. Phys. p. 68. 2. *Si cœlum habet animam, aut habebit vegetantem, aut sentientem, aut intelligentem: præter has enim tres animas nullam aliam agnoscimus, ut constat ex scientia de anima. Sed vegetantem non habet: Vbi enim vegetalis anima operationem non reperitur, ibi vegetalis anima adesse non potest. operatio enim sequitur essentiam. Deest autem cœlo nutrimentum & alimonia Aristot. lib. 1. de cœlo cap. 3. rex. 2. Ergo. Neque sensitivam: quia in cœlo nullum organum sensus advenitur. Si enim animal sensum habet, ejus corpus aut est simplex aut mixtum. Aristotel. 3. de anima text. 62. Sed cœlum non est mixtum. Ergo simplex. Ergo non habet sensum: siquidem sensus ex temperata mixtione elementorum oritur. Proinde actiones animæ vegetativæ & sensitivæ postulant corpora corruptibilia & mixta ex primis qualitatibus: cum etiam quia ipsa figura, dispositio & magnitudo cœli est improporcionata his animalibus. Neque intelligentem: quia corpus non nisi sensuum ministerio intellectui deservit. 4. Neque anima convenit cœlo ob motum localem: quia anima alligata corpori per informationem minus movet, quam anima conjuncta per assistentiam. Ratio est: quia anima conjuncta corpori per informationem fatigatur ad motum corporis: assistens vero plus movet, utpote infatigabilis. Scaliger exercitat. 76. section. 4. Videatur D. Thomas libr. 8. Physic. c. 5. text. 38. Suarez disputat. Metaphysic. 35. section. 1. distinction. 15. Mercen. in suis dilucid. Conimbric. lib. 2. de Cœlo cap. 1. quæst. 1. articul. 2. Versor libr. 12. Metaphys. quæst. 6.*

Testimonia † quoque adsunt tum gravissimorum virorum & tum Philosophi evidentissima, quibus hanc veritatem probare licet. Damascenus 2. de fide Orthodox. cap. 6. *Nullus, inquit, cœlos aut sidera animata esse existimet: anima quippe ac sensu carent.* Idem sentit Aristotel. 8. Physic. textu 40. & 41. & capite ultimo libr. ejusdem textu 48. *Consentiunt quoque Dd. Scholastici communiter D. Thomas 1. part. quæst. 70. articul. 3. Albertus Durandus, Ochatius, Ægidius, &c.*

Verum

Verum † ne nimis excreſcat oratio, ad oppoſitorum argumēto-
rum ſolutiones pergimus. Ad 1. reſp. quod dupliciter aliquid movet ſe-
ipſum: Vno modo, quando pars movens ineſt toti per formale inhere-
ntiam, & ſic anima animalis movet animal. Alio modo, ubi movens
ineſt per aſſiſtentiam & virtutem, & ſic anima nobilis movet cælum,
& cælum movet ſeipſum gratia anime nobilis. Thomas loco ſupra
citato. In 2. neganda eſt conſequentia, & dicendū quod cælum nobilio-
ſiſ forma ſit præditū, quam bruta, planta & homo, prout eſt instrumen-
tum intelligentiæ motivæ. Ad 3. reſpon. quod cælum poſſit duplici-
ter conſiderari: vel cum intelligentiâ, hoc eſt, pro toto quod eſt, quod
exiſtit orbe & intelligentiâ, cuius motu ac efficaciâ continentur res
omnes ſublunares: Vel præciſe & citra intelligentiâ, prout eſt cor-
pus quoddam ſimplex & naturale, & quod perpetuo movetur in or-
bem. Cælum per ſe ſumptum non regit ſublunaria, ſed vi intelligenti-
arum motricium, quæ cæteris rebus viventibus dignitate præſtant.
Conimb. lib. 2. de cœl. cap. 1. quæſt. 1. art. 4. Pererius lib. 2.
cap. 6. Ad 4. reſpondemus. I. Quod motus cœli poſſit dupliciter
comparari. I. ad ipſum cælum, & ſic dicitur naturalis. 2. Ad in-
telligentiâ, ſic eſt voluntarius. II. Quod motus cœli non ſit ad con-
traria: eſt enim circularis. III. Quando dicitur: Natura eſt de-
terminata ad unum: id intelligendum eſt de forma, non de materia
Materia enim eſt indifferens ad oppoſita, modo in cœlo eſt principium
materiale, & non formale ſui motus.

7. Testimonia † quod atinere dicimus, quod ſecundum Thomam
dupliciter aliquid ſit animatum: Vno modo per informationem, quia
ſcilicet habet animam, quæ corpori dat eſſe ſpecificum, & ſic cælum non
eſt animatum. Alio modo per aſſiſtentiam ſive per imitationem virtu-
tis moventis, & ſic cælum dicitur animatum: quia anima nobilis movet
ipſum cælum influendo ſuam virtutem in oriente, in quo anima nobi-
lis reſidet. Atque hoc ſenſu locutus eſt Ariſt. 2. de Cœlo & 12. Met.
de animatione cœli. Porro explicationem iſtam dicti Pſalmi tanquam
adulterinam, rejicimus, & cum Luthero germanam in gloſſ. marg. reti-
nemus: Deum fecit cœlos in intellectu, id eſt, Deus corpora
cœleſtia ita condidit, tam ratum ordinem, tantam conſtantiam &
proportionem motibus eorum indidit, ac ſi ea intellectu prædita fe-
ciſſet.

QVÆSTIO III.

An prima causa, quæ est Deus, sit simpliciter simplex?

Alia t̄ quidem sapit questio hæc, sed quia ad supera non ad inferiora nobis parata sit via, & natura humanum corpus ad cœlestia direxerit, vitio nobis maxime verteretur, si ob inertiam & socordiam animum quoque ad divina non elevaremus. Piccolom. grad. 5. Phil. moral. cap. 60. Non minus igitur abs re quam pie facturos nos speramus, si de altis alius inquiramus & queramus: An nimirum Deus, qui est causa prima, sit simpliciter simplex?

Rationes t̄ quidem pro negativa militant satis firmæ. 1. Quicquid est perfectionis, illud Deo tribuendum. Sed composita sunt perfectiora simplicibus: totum enim compositum perfectius est quam materia vel forma. Ergo compositio Deo maxime tribuenda erit. 2. Quicquid constat ex natura & supposito illud non est simplex. At in Deo datur talis compositio. Ergo. 3. In Deo datur compositio ex esse & essentia: cognoscimus enim de Deo, quod sit, sed non quid sit. Ergo esse & essentia differunt in Deo. 4. Quicquid collocatur in prædicamento, illud est compositum. Sed Deus ponitur in prædicamento substantiæ: est enim Ens per se subsistens. Ergo. 5. In Deo est potentia & actus. E. non est simplex.

Pro affirmativa t̄ vero rationes pugnant invictissimæ: 1. In quo nihil in potentia, sed in actu omnia: imò purus, primus, medius, & ultimus actus, illud est simplex. Sed in Deo nihil in potentia: sed omnia in actu, &c. Ergo solus Deus non est simplex. Scaliger exer. 6. sect. 2. II. Solus Deus causa est sine causa, & Ens absq̄ ente: mera namque essentia. Ergo simplex est & actus purus. Scaliger exerc. 3. 9. sect. 2. III. Quod actus purus non est, compositum aliquo modo est. E. & irresolubile. Solus autem Deus purus. E. & simplex. Scal. exer. 61. sect. 5. IV. Omne Ens perfectissimum habet summam & consummatam perfectionem in simplicissima essentia. Suarez disput. 30. sect. 3. distinct. 4. Sed Deus est Ens perfectissimum. Suarez dict. disp. sect. 1. Ergo. V. Si in Deo daretur compositio, esset ea vel realis, vel rationis. Si realis erit vel ex esse & essentia, vel

ex naturâ & supposito, vel ex materiâ & formâ, vel ex partibus quantitativis, vel ex genere & differentiâ. Non prima: quia in Deo si essentia esset aliud quid, quàm esse, tale esse causaretur vel ab agente extrinseco, & hoc repugnat primo Enti, vel intrinseco, & hoc repugnat ipsi esse: quia non potest res aliqua sibi esse causa essendi. Arist. 12. Metaph. cap. 4. text. 20. Ergo. Non secunda: quia suppositio non facit realem compositionem cum naturâ, neq; secundum modum concipiendi nostrum, neq; etiam in re ipsâ: suppositio enim est extra rationem essentialis naturæ & natura est extra rationem suppositionis. Non tertia neque quarta: non enim datur in Deo compositio ex partibus quantitativis. Ergo neque ex materiâ & formâ. omne enim Ens ex materiâ & formâ constans partes habet quantitativas & integrantes. Antecedens patet, quia Deus cum sit infinitæ virtutis, non potest esse in magnitudine, ut probat Arist. 8. Phys. Non quinta. 1. quia ex genere & differentiâ non fit vera & realis compositio, sed tantum rationis, quæ propriè non compositio sed constitutio dicenda est, adedque secundum extrinsecam solum denominationem & ex modo concipiendi nostro. 2. Quia in Deo non potest esse aut concipi differentiâ propriè dicta: est enim de ratione differentiæ, teste Arist. 3. Metaph. ut sit extra ordinem generis, hoc est, ut in suo conceptu preciso non includat genus, quod de Deo affirmare ut impossibile ita absurdissimum foret. Si rationis, erit ex subiecto & accidente. Sed neq; hæc concodi potest: Perfecto enim ex se ipso, inquit Cyrillus, nihil potest accidere. Substantia vero Dei ex se perfecta est. Nihil ergo ei accidit. Videatur Suarez disp. 30. sect. 3. 4. & 5. Versor lib. 12. Metaph. q. 7.

4. Hanc & itaq; sententiam ut sartam rectamq; servemus, argumenta contraria diluenda erunt. Ad 1. respondemus, quod simplicia sint duplicia: Quædam enim non habent esse nisi in toto: quædam habent esse proprium. Priora sunt imperfectiora compositis, posteriora secus se habent. seu quod eodem recidit; Cæteris paribus id, quod simplicius est, perfectius est: quamvis absolutè non semper, quod est simplicius, sit perfectius: est enim simplicior pars quàm totum, non tamen perfectior: & similiter accidens sæpè est simplicius quàm substantia, licet sit in inferiore ordine & gradu Entis. Sistendo verò intra eundem gradum ac cæteris paribus simplicitas perfectionem indicat. Suarez. disp. 30. sect. 3. dist. 3. Ad 2. responsum est in argumento quinto pro affirmativâ allato, parte secundâ: natura enim & suppositum in Deo non differunt

non differunt realiter, sed tantum secundum nostrum concipiendi modum. Ad 3. respondemus quod esse dupliciter accipiatur: Vel pro actu essendi, & sic neq. essentiam Dei cognoscimus: vel pro veritate propositionis, qua de Deo propositionem hanc: Deus est: necessario veram esse tenemus. Ad 4. respondemus quod aliquid ponatur in predicamento: vel directe vel indirecte sive reductivè. Deus autem neutro modo est in predicamento Substantia, utpote qui omnia transcendit genera, cum sit maxime simplex, infinitus, omnipotens &c. Entia verò composita, finita, & creata tantum ad predicamenta pertinent. Ad 5. respondemus distinguendo inter potentiam passivam & activam. Arist. lib. 9. Metaph. c. 1. text. 2. Potentia passiva in Deo nulla est (siquidem adiunctam habet potentiam contradictionis, Deo autem nihil est contrarium) sed activa: quam Deo tribuere respectu operationum ad extra absurdum non est: manet enim Deus respectu eorum, quae essentialiter ei inhaerent, actus purissimus.

QVÆSTIO IV.

An sensus circa propriū obiectū possit errare?

Aristoteles † distinguens inter sensibilia sensuum 2. de an. c. 6. text. 62. & 63. facit ea triplicia: Aliud enim, inquit, est sensibile proprium, aliud commune, aliud per accidens. Ac proprium definit id, quod uno tantum sensu, & sine errore eius sive hallucinatione percipitur. Commune verò describit, quod non uno sed pluribus percipitur sensibus. Tandem sensibile per accidens dicit esse illud, quod non immutat sensum, nec à quo patitur sensus. De priori quoniam dissentiant inter se Epicurei & Academici, merito ob rei veritatem questionem hanc movemus: An sensum externum (de hoc enim in praesentia) circa sensibile proprium errare contingat?

Epicurei, † qui totius veritatis iudicium in sensibus collocarunt, sententiam suam hoc modo confirmant. 1. Si sensus possunt errare, nulla scientiarum certitudo esse potest. Sed consequens est falsum. Ergo & antecedens. Copulatum patet: Quia omnis nostra cognitio incipit à sensibus. 2. Tertullianus in l. de an. c. de quinque sensibus ex Iobanne, ubi rei veritatem ex sensuum certitudine deducit, idem probat his verbis: Quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostrae contractaverunt, 3. Docet hoc Philosophus l. 8. Phys. c. 3. t. 22. Cognitione enim hebetem censet illum, qui sensibus fidem abrogat. Conimb. l. 2. de anim. c. 6. q. 6. art. 1.

3. Eandem & fere recipere videntur opinionem Averroes lib. 2.
de anim. cap. 6. & Albertus tract. 3. cap. 5. quem sequitur Apol-
linaris quæstion. 13. Sed utrique dicitur simodè: Filius enim Reus
sensum maxima ex parte decipi asserit contra Aristotelem 2. de anim.
text. 63. Albertus vero & Apollinaris nullo modo eum errare dicunt,
quia species talem facit sensationem, qualis ipsa est, quare nulla est de-
ceptio. Conimbr. dicto loco art. 2. Tolet. 2. de anim. cap. 6.
quæst. 13.

4. Academici & contrà, qui omnem fidem à sensibus ablegarunt,
assertionem suam probant his argumentis 1. Quia intellectus dicitur
sensum corrigere non nisi errantem. 2. Quia sapius organum non est
benè affectum, ut in Ictericis, quibus alba videntur esse flava. 3. Sic
quoque medium non raro nos fallit, cum tempore matutino Solem ob
interi. Etos vapores rubeum apprehendimus. 4. Imo majus intervallum
causa erroris esse potest: sic corpus quadratum ob angulos evanescentes
rotundum esse putamus. 5. Tandem diversus objecti situs & locus
anima sentientis operationes impedire potest.

5. Sed & nos ad mediam accedimus sententiam, quæ est Themistii
cap. 12. Simplicii, Theomixti (ut refert D. Thomas 2. de anim. text.
63.) Ianduni quæst. 17. Savanorol. lib. u. epit. Physic. conclus. 6.
& omnium Peripateticorum, nimirum quod sensus non perpetuo fal-
lantur, nec etiam nunquam decipiuntur, additis his limitationibus,
quarum hæc est. 1. Organon cujuslibet sensus rectè & secundum
naturam dispositam esse debet, integrum, viciens, & illasum. 2.
Medium debet esse conveniens & naturaliter se habens, nec alienà
qualitate aut dispositione aut proportione commutatum. 3. Iusta sit
& moderata distantia inter sensorium & sensibile.

6. Verum & nec hi omnem tollere videntur difficultatem, suffici-
entia igitur loco tres adhuc subjungemus. 1. Requiritur situs & motus
conveniens: decipiunt enim visus, si quid obicitur oculis non secun-
dum rectam lineam. 2. Mora requiritur moderata: quia quacun-
que subito in sensus incurrunt, & quasi momento prætervolant, nihil
admodum eos afficiunt. 3. Animus sit occupatus in percipiendo sensi-
bili: alias enim oculis etiam apertis nihil cernit. Joh. Magirus lib.
6. Physiolog. cap. 6. p. 520. & 524.

7. Ex his & luce meridiana clarius esse arbitror, sensus ubi hæc re-
quisita deficiunt, facili negotio falli. Patet quoque ex decisione ad op-
posita

posita argumenta solutio. Recta proinde ad questionem proximam
progredimur.

QVÆSTIO V.

An dentur artes ingenue, & libero homi-
ne dignæ?

Dari ¶ artes ingenue & libero homine dignas extra omnem
controverſia aleam poſitum eſt, non probatu Philoſopho civili difficis-
ſe. Cum enim artes hunc in finem inventæ fuerint, ut remedium
adferant noſtra indigentia, ac ad virtutem aptiores reddant, vir
prudens ac ingenuus in earum conſideratione accurratè verſari tene-
tur, ne tales aſſumat, quæ ipſius fini, honeſto nimirum, adverſen-
tur, ejusque exiſtimationem & auctoritatem diminuane.

E quarum ¶ numero cum ſint artes ſordida (quæ ipſo nominis
ſcedore ſe fugiendas oſtendunt) ut & illa, quæ apparentem ſolum præ-
ſe ferunt perfectionis medelam, quæque pro recto medicamento vene-
num propinant, merito evitare debet. His igitur relictis ad illas nos
convertimus, quæ fini ingenui hominis ſunt accommodata, eumque red-
dunt aptum ad uſus actionesque virtutis, vel redditum decent, ſive in
otio, ſive in negotio vitam traducat.

De harum ¶ numero maxima adhuc eſt dubitatio. Veteres non
nulli ſeptem recenſent: Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam,
Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam & Muſicam: de qui-
bus Martiannus Capella & alii multa: quas etiam Encyclopedias ſive
in circulo poſitas, & populares diſciplinas nuncuparunt.

Quæ ¶ ſententia minimè probanda videtur: Geometriam enim
& Arithmeticam, quæ tamen artes non ſunt, inter artes numerant:
multas deinde ac fere maximam partem liberalium artium omittunt.
Nimis latè denique vocabulum artis extendunt ad ſcientias.

Vi ¶ igitur eò commodius ad inveſtigationem harum artium per-
veniamus, lubet eas in tres gradus diſtribuere. Nonnullæ enim & a-
nimum & corpus juvenis ad ingenuitatem preparant: alia ipſam in-
genuitatem largiuntur: quadam demum virum ingenuitate jam im-
butum inſtrunt & perficiunt.

B 3

Primus



Prima classis

II

III

6. *Primum* † gradum occupant artes gymnasticae, ut palaestra, ludus parva pile, & venatio: quibus etiam aucupium cum piscatione annumeramus: qua omnes valetudinem, robur, dexteritatem, agilemque membrorum flexionem adferunt, adeoque pro virtutis & patriae salute, pro parentum & amicorum tutelâ conferunt & conducunt. Animum verò ingenii juvenis informant disciplina, quae versantur circa sermonem congruum vel incongruum, & est Grammatica: verum vel falsum, & est Dialectica: ornatum vel inornatum, & est Rhetorica.
7. *Secundum* † locum vendicant sibi artes illae, quae formam ingenuitatis impertiuntur, & Philosophia nomine honestantur, ut sunt Philosophia Theoretica & Practica, quibus aptè componitur facultas inspectrix & appetens.
8. *Ex hac* † demum tertio loco quasi fractus Philosophiae contemplaticis resultant disciplinae & artes illae, quae virum ingenuitate formatum decent, & sunt, Medicina, Agricultura, Magia, Physica: quibus nonnulli accensere volunt artem pingendi, statuas efficiendi & similes. Haec artes quidem in se non parum ingenuitatis includunt, dummodo adhibeamus non lucri gratiâ (hoc enim hominem ingenuum de statu suo removeret, ac in numerum opificum collocat) sed ut opus ipsum ac artificium intueamur, naturaeque industriam inde cognoscamus.
9. *Hi* † igitur tres gradus tantum nomini ingenuarum artium ac disciplinarum merentur, secundus tamen propter praecellentiam eminentiori nomine, Philosophiae nimirum, exornatur.
10. *Constat* † proinde ex his, ingenuas artes longè esse plures quam septem, nec omnes aequè ingenuas. Nec etiam tantum esse eas quatuor, quas lib. 8. Polit. refert Aristoteles inquit: Quatuor esse communes disciplinas, quibus olim pueros instituire consueverunt, litteras, palastram, Musicam & artem pingendi: nam praeter has dantur & aliae, ut patuit. Confer D. Thomam in proem. lib. 1. Physic. Verforem in proem. quaest. super praedicabil. Porphyrii quaest. 1. 2. & seq. Piccol. gradu § phil. mor. c. 56.

QVÆSTIO VI.

An ars præstet naturæ, vel natura arti?

Huius

Huic \dagger quaestioni succedit nobilis illa controversia, quae Arti cum 1.
Naturâ intercedit: An nimirum ars naturæ, vel natura arti sit
preferenda?

Pro artis \dagger præstantia nonnulli ita insurgunt. 1. Ex modo ope-
randi: Quicquid agit cum consultatione & cognitione, præstantius
est illo, quod absque deliberatione operatur. At ars cum consultatio-
ne ac cognitione operatur: Natura vero directo progreditur, modum
operandi ignorans. Ergo. 2. De ratione artis est, rectum: Natu-
ra vero tantum dicitur principium motus indeterminati. Iam vero
determinationem ad bonum aliquod, præstantius est indeterminato. 3.
Ars in opere efficiendo est instar ducis, regule & mensura. Natura
vero est ea, quae formatur, ducitur & dirigitur. II. Idem quoque
ostendi posse videtur rationibus ex eo, cui ars & natura competit,
desumptis: Ars inest menti, ac hominis propria. Natura vero in-
fra mentem collocatur, & in rebus homine vilioribus maxime fulget.
2. Deo etiam competit confamilior modus operandi secundum artem
quam naturam: Ille enim cum cognitione operatur, ad quem modum
propius accedit ars quam natura. III. Ex ordine & origine rerum.
Quicquid ordine & origine est posterius, perfectione est prius: poste-
riora enim prioribus semper perfectionis aliquid superaddunt, Aristot.
s. Phys. Sed ars ordine & origine est posterior naturâ. Ergo. IV. Ab
effectis: Omne perfectivum præstantius est perfectibili. At ars perficit
opera naturæ. Aristot. lib. 2. Phys. text. 79. Ergo. Sic etiam, quæ
naturâ assequi non possumus, arte perficimus. Sic domamus equos, leo-
nes, qui hominem fertitudine ac robore corporis longe superant. Mul-
tò verò magis admirationem meretur, quod hominem, quem natura
modo produxit rudem, inermem, ad mala proclivem & imperfectissi-
mum, mox in gremium artis receptum habilem reddat, perficiat, &
ad utilia perducatur. Piccolomin. gradu 6. Phil. mor. c. 58.

Hæ \dagger sunt principales rationes, quibus pro asserendâ præ- 3.
cellentia artis utuntur. Sed firmiter videntur inniti fundamen-
tis illæ, quæ nature præstantiam arguunt, siquidem ex iisdem fontibus,
ex quibus illa pro arte hauriebantur, dilucidius deduci possunt. Quod
n. primo modum operandi attinet, videtur ille sanè naturæ longè emi-
nentior competere, quam arti: Illa n. est principium internum intrin-
sece rem constituens: Hac vero externum, quod tantum accidentalem
quandam

quandam formam & figuram introducit. Deinde natura est ipsius rei substantia, Ars vero tantum accidens illi inhaerens, modo omnis substantia & origine & dignitate est prior accidente, teste Aristotele lib. 7. Metaphys. tex. 4. Præterea in universo ordine rerum prius origine, posteriori perfectius est: ex præstantioribus enim pendent vi-
lora. Sed natura est prior arte. Ergo & præstantior. Natura denique producit substantiam & res necessarias, ut metalla, plantas, jumenta, hominem, & que toto hoc universo continentur: Ars solum imagines & umbras rerum. Natura omnia proximè in Deum dirigit: ars in hominem.

4. Ad argumenta ex modo operandi in oppositum allata respon-
demus 1. Natura licet ipsa in se considerata cum cognitione non ope-
retur, consultet aut intelligat: cognoscit tamen longè eminentiori
modo, munere nimirum primi principii mirabiliter eam dirigentis.
2. Quamvis ars sit habitus recti cum ratione effectivus Aristot. lib.
6. Ethic. Nicom. cap. 4. §. 4. Tamen ob hominis imbecillitatem &
materiae inconstantiã multis erroribus est obnoxia, ideoque semper
imperfectionem quandam præsupponit. Natura & ars quando in ali-
quo efficiendo conspirant, natura principem locum obtinet, ac artem
tanquam instrumentum adhibet, unde hæc illius modum operandi se-
qui & emulari tenetur. Imo sublata naturâ interit ars: hæc enim
in efficiendo semper ab illa tanquam causa principe dirigitur. Ad
II. 1. Ars pertinet quidem ad mentem, at non est mens, sed quali-
tas ejus: natura autem est ipsa met forma, quæ infra mentem collo-
catur, quæ forma præstat accidentibus mentis. 2. Non obstat, quod
dicebatur operando ad similitudinem operationum divinarum pro-
pius accedere quam naturam. Nulla enim illis vel proportio vel simi-
litudo, nisi levis quedam umbra intercedit. Ad III. respondemus
non omne posterius priore dignius est & perfectius, alias de præstantia
Dei hæc ratio multum decederet. Ad IV. respondemus non omne
perficiens, sed quicquid perficit ut causa princeps, illud præstantius ju-
dicandum est. Iam ars perficit naturam ut instrumentum, sicut ser-
vus opera Domini. Piccolom. grad. 5. Phil. mor. cap. 59.

5. Non tamen minus inficias, artem cum natura conjunctam &
complicatam naturam solam & in se consideratam vincere quandoq; &
superare, sed seorsim & secundum vires proprias sumptam longè superari
& vinci. Piccol. grad. allegato e. 60.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

Antantum lege, an tantum Rege, an ve-
rò & lege & Rege rectè gubernetur Resp?

Aristoteles † lib. 4. Politic. cap. 4. inter partes, quibus ci-
uitates consistunt, octavam & postremam constituit eorum, qui pu-
blicam gerunt operam & in Magistratibus gerendis occupati existant.
Civitas enim, inquit, absque Magistratibus esse non potest. Ves-
tium non minus leges quam magistratus in Republica sunt ne-
cessariae, imo sit collatio fiat ad utilitatem utriusque, magis ex-
pedit populo habere magistratus bonos quam leges. Tholoz. lib. 4.
de Repub. cap. 5. sect. 1. Videmus tamen quosdam acerrimè inter
se digladiantes hac de causâ, quorum alii tutius à bono principe, alii
melius à bonis legibus Rempub. administrari putant. Rationes ergò
utriusque partis adducemus, perpendemus, & tandem secundum ve-
ritatem concludemus.

Pro regibus † qui sentiunt contra leges, rationes adferunt tales. 2.
1. Quia leges universa tantum persequuntur, singula & quæ indies
eveniunt, non attingunt. Arist. lib. 2. Polit. c. 6. 3. eorund. 7. &
4. eorundem 4. Rex contra singulis in causis ex aequitate judi-
cat. 2. Quia in singularium consideratione sæpe summa est artis,
ab artis legibus discedere: stultum enim foret semper ad præceptorum
præscripta imponere, ut exemplo Medicinæ Ægyptiæ docet. Arist.
lib. 3. polit. c. 11. 3. Quia lex est solum muta regula rationis:
at princeps est lux & vita civitatis. Cicero 3. de leg. Martianus
de jure honorario: Nam prudentia regis condit & moderatur leges
Tholoz. lib. 9. de Repub. cap. 1. sect. 39. 4. Quia civitas ad-
ministrari potest sine lege, sed non absque rege: nam & quando le-
ges nondum erant, omnia manu & arbitrio boni principis regebantur
per eos, qui iuridicundo præsumunt: imo parum est, jus in civitate esse,
nisi sint qui jura regere possint. Tholoz. lib. 4. de Repub. cap. 5.
sect. 1. 5. Quia leges absque regibus omnino sunt inutiles: quis
enim scriptam legem timeret? at sceptrum regis non veretur? Ma-
gistratus autem sibi ipsi sunt leges, unde & Plato sæpe numero magi-
stratus optimos legibus anteposuit. Tholozanus ibidem. 6. Quia
C vis &

vis & auctoritas legum non consistit in literis vel scriptura: nihil enim hæc possunt: sed in eo quod magistratus eas confirmant, exhibentq; omnibus earum opem implorantibus. Sic quoq; leges per magistratus, qui eas executioni mandant, firmæ sunt, & ipsi firmi per leges, ut ait Demosthenes contra Midiam.

3. Pro legibus† contra reges rationes concludunt istæ. 1. Quia satius est Remp. legibus, quam bono viro regi, utpote quæ nulli passioni sunt obnoxia, mens verò humana non item. Zecchius lib. 1. Polit. c. 6. num. 16. Unde apud veteres commendatur Torquatus, qui cum edictum promulgasset, ne quis castra egrederetur, pœnas sumpsit de filio qui id est transgressus, teste Valerio Maximo. 2. Quia regula justitiæ civitatem regere debet. Aristot. 5. Ethic. Sed lex est regula justitiæ. Ergo. 3. Quia quod Deus est in mundo, in navi gubernator, in choro præcentor, in curru agitator, & dux in exercitu, hoc lex in civitate. Tholoz. lib. 10. c. 6. sect. 4. 4. Quia rex solùm minister est & custos legum, Arist. 1. 3. Polit. c. 12. 5. Quia sine legibus rex imperare non potest. 6. Quia leges sunt perpetuæ: at reges mortales. 7. Quia leges in omni Rep. sunt veluti ocelli, ut dicebat Leo Imperator constit. novell. 19. Quemadmodum enim res est maximè necessaria animali non titubans oculus: Ita etiam Reip. legum equus ac statutus. Tholoz. lib. 10. de Rep. cap. 6. sect. 3. Confer Calum lib. 3. Sphær. civit. c. 11.

4. Verùm† mediâ progrediendum viâ, & regi unâ cum lege imperium concedendum est, ita ut lex respectu universalium regis sit magistra: rex autem respectu singularium legis partim custos & defensor, partim interpres & corrector.

QVÆSTIO VIII.

An legatis mandati fines transgredi liceat?

1. In officiis† capiendis, censendis, judicandisq; quæ Græcè καθήκοντα Philosophi appellant, quæri solet, an in recepto mandato foret rectius, id omninò facere, quam mandatum est: vel contra, si videri posset res eventura prosperius, exq; utilitate eius, qui id negotium mandavit.

2. Anceps† quæstio, & in utramq; partem à prudentibus viris arbitrata est. Sunt enim non pauci, qui re semel statuta & deliberata ab eo, cuius

cujus negotium id pontificiumque esset, nequaquam putaverint contra dictum eius esse faciendum, etiamsi repentinus aliquis casus rem commodius agi posse polliceretur, ne si spes fessisset, culpa impatientiae & poena indeprecabilis subeunda esset. Itaque C. Caesar lib. 2. belli civil. Si lanum legatum recte ac prudenter fecisse scribit, quod manus cum hoste non conseruisset, tametsi victoriam certam relaturus, videretur: quia nihil debuit, inquit, contra iussum imperatoris tentare. Sic P. Crassus Mutianus iuste *ἄσχιτ ἐκ τῶν αὐτῶν* suum, detractis vestimentis virgis excepit, quod non obsequio debito, sed consilio non desiderato responderit. Agell. lib. 1. noct. Attic. c. 13.

Alii ^{3.} existimant incommoda prius, quae metuenda essent, si res gesta aliter foret, quam impetratum est, cum emolumento spei esse pensitanda. Et si ea leviora, minoraque: utilitas autem gravior & amplior, spe quantum potest firmam ostenderetur, tum posse adversum mandata fieri censuerunt, ne oblata divinitus rei bene gerendae occasio amitteretur.

Nos ^{4.} vero caute, circumspicere & considerate omnia peragenda esse censemus eoque magis, si de Rep. de foederibus, de pacis actionibus, de finibus imperii, de principis dignitate agitur: in quibus explicandis mandatum egredi capitale est. Interdum etiam legatorum mandatis haec clausula subijci solet: Si quid amplius fieri oporteat, pro locorum, temporum, ac personarum varietate curabit legatus: *vel ea, quae est apud Aeschinem pro sua legatione: Ut legati pro sua prudentia, quae est Rep. esse judicabunt, exsequantur. Non pertinet autem ad ea, quae non aliter quam singulari mandato debent explicari, hoc est ad foedera concipienda vel convellenda: sed ad ea tantum quae his leviora videbuntur: nam si quid largiendum est hostibus aut sociis, quo imperium eorum cum Reip. incommodo proferatur, id legatis sine mandato singulari non licet. Ac tametsi privatis in rebus mandato recte paruisse interpretamur eos, qui uberius ac melius quam iussi fuerant, negotium gesserunt: in publicis tamen non eadem utimur interpretatione: miles enim qui hostem invasit, aut magister equitum, qui praelium conseruit, tametsi uterque victor spolia optima de hostibus retulerit, capitali tamen poenam obligantur, si vetante Imperatore id fecerint. Hinc Fabium recte capitis postulatum esse aiunt, dum vetante Papirio Dictatore hostem invaserat, licet viginti millia hostium, centum tantum civibus amissis, internecioni dederit. Bodinus lib. 3. de Rep. c. 2.*



QVÆSTIO IX.

Quid conservet, quid destruat Remp?

1. Quemadmodum † ad Medicum spectat consideratio tam sanitatis, quam agritudinis: Ita Politicum intueri oportet, non solum quæ pestes, sed etiam quæ remedia sint & veluti alexipharmaca civitatis. Calus lib. 5. Polit. cap. 1. Arist. lib. 4. Polit. c. 2. Rectè igitur nos causas eversionum & conservationum in unaquaque Reip. formâ inquirimus.

2. De causis † Democratiæ destruentibus primùm dicam: siquidem illa huc illuc (ut Plutarch. de trip. Polit. Patrit. lib. de reg. tit. 3. Polyb. lib. 6. & Arist. 5. Polit. 5. scribunt) quasi navicula sine clavo omni flatu & fluctu pellitur: quid enim vulgo mutabilius & quid populo levius & inconstantius? Rectè Virgil. 2. Æneid.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Quare mirum non est, si ista administrandi forma cum Chameleonte sæpius mutetur, tum propter assentationem ductorum populi, leviumque concionatorum petulantiam, qui divites convitiis proscindunt, & populum contra nobiles & divites conspirare faciunt: Tum propter potestatem nimiam quæ istis demagogis conceditur. Arist. 1. Polit. 5. Cic. 2. Agrar. Adde & levitatem temeritatemque plebis, quæ incertis motibus quasi Euripus agitur, & furioso impetu in omne obiectum rapitur. Casus lib. 5. Sphæx. civit. cap. 5. qui plures ibidem rationes habet.

3. Venio † nunc ad causas mutationum & interituum in Aristocratiâ, quæ partim sunt communes, partim propriae. Communes sunt: paucitas magistratum invidiosa, ignominia & contumelia in alios, honoris deprivatio, extrema magistratum paupertas, & tandem ambitio. Propriae sunt: languor virtutis, legum antiquatio, transgressionum neglectio, vicinarum denique civitatum dissimilis aut planè contraria gubernandi ratio. Arist. 5. Polit. 7. & in hunc Casus. Iunius part. 1. quæst. Polit. 5.

4. Accedo † nunc ad causas ruinae in Oligarchiâ, quæ itidem sunt vel communes vel propriae. Communes sunt, iniuria & discordia. Propriae sunt vel internæ vel externæ. Internæ sunt, dissolutio morum, profusio rerum, diffidentia animi, assentatio populi. Externæ sunt elec-

Etia

Actio iniqua, injusta oppressio, affluentia fortune, &c. Aristot. 5. Polit. 6. & in hunc Casus.

Converto + me nunc ad decrementsa Monarchia, quae sunt 1. In-
juria vel nomini per contumeliam, vel corpori per stuprum aut pla-
gam illata. 2. Metus; nam ut amor subditorum est firmissimum re-
gni praesidium: Ita pessimus diuturnitatis custos est metus & odium.
3. Contemptus, vel ob vitia turpitudinem, vel generis ignobilitatem,
aut nimiam familiaritatem. 4. Siticulosa divitiarum & gloriae
cupiditas. Arist. lib. 5. Polit. c. 10. & in hunc Casus. Melch. Jun.
part. 1. quaest. Polit. 5.

Porro + dantur etiam generales causa mutationum in Rebusp. 6.
quarum prima in natura posita esse videtur: sicut enim quaevis sublu-
naria in motu sunt, & sua fata vident: Ita & Respub. licet optimè
constituta, tandem mutantur & pereunt. Plato lib. 8. Pol. 2. In-
justicia. 3. Ignorantia & inscitia. 4. Ingratitudo & contumacia
subditorum. Videatur Plato, lib. 8. Polit. Aristot. 5. Polit. c. 10.
& in hunc Casus. Junius part. 1. q. 5. Zecch. l. 1. c. 4. n. 4. &
& seq. Calman. in Politic. c. 51.

Expositis + causis morborum si-ve mutationum Rerump. restat 7.
ut remedia quaramus earundem, quae licet ex mutuà oppositione faci-
le innotescant. Aristot. 5. Politic. 8. lubet tamen nonnulla pro salu-
te earundem adhibere, & quidem talia. 1. Religionem & Pietate-
tem, quae rectè fundamentum Reip. constituitur Plato. 2. Polit. & quae
sublatà simul tollitur fides & societas generis humani, & excellentissi-
ma virtus Iustitia. Cicero 1. de nat. Deor. quae tamen regis solium
imprimis firmat. Proverb. 16. pro dignitate suam unicuique tribuen-
do. 2. Sapientiam, Neque enim magnificis murorum structuris, ne-
que numerosa civium multitudine vel veritur vel continetur civi-
tas, sed sapientià ac moderatione gubernatorum. Isocr. in Areopag.
3. Legum observationem. Tam diu enim vigent Respub. quam diu
leges in his bonae dominatum obtinent & conservantur. Plato in Cri-
tia. Aristot. 5. Polit. 8. Xenoph. de Spart. Repub. 4. Concor-
diam & dissidiorum fugam: Sicut enim concordia res parvae
crescunt: Ita discordia res magnae dilabuntur. 5. Pœnas ac casti-
gationes parvorum etiam delictorum: quia maximè perniciose est
imperiis ac Rebusp. intempestiva misericordia. Aristot. 5. Polit. 8.

Thucyd. lib. 3. Sed nimis longum fere rationes omnes apponere: solum
itaque abrumpimus, lectorem remittentes ad quaest. 6. part. 1. Polit.
Melch. Junii.

QVÆSTIO X.

An fines imperii bello ampliandi?

Multos † fuisse & adhuc esse, qui summum bonum civile in
amplificando imperio ac dominatu posuerunt, probat Philosophus lib.
7. Politicor. cap. 2. exemplis Lacedæmoniorum, Cretensium, Scy-
tharum, Persarum, Thracum, aliarumque nationum, quæ ad bellum
cives suos ideo instuxerint, ut cum Nino finitimos invaderent,
suaque confinia aliarum gentium damnis spoliisque auferrent, onera-
rent, dilatarent. Hisce exemplis positis, querit Aristot. Iustum an
injustum sit bellum finitimis inferre, ut imperia dilatentur?

2. Injustum † esse videntur suadere sequentia 1. Quia principis
proxima cura non est imperium dilatare, sed bene regere & conservare,
cum si nimis amplum illud sit, difficile sit illud regere, si angustum,
periculo refertum, velle id dilatare, ne simul omnia amittat, & ne
subditi ab eo prius desciscant, quam bellum adoriatur. Zecch. libr. 2.
Politic. c. 1. n. 20. ex Isocr. Orat. pro pac. 2. Quia Principes
populum proprium, quem custodiendum acceperunt, periculo mortis
temerè exponunt. Tholoz. lib. 11. de Rep. c. 1. sect. 9. 3. Quia sa-
lus Reip. non consistit in eo, quod præter vel contra naturam est. Sed
vi & armis finitimos invadere, tyrannico imperio subigere, est quid-
dam violentum & contra naturam. Ergo. Casus lib. 7. Sphær.
civ. c. 2. 4. Quia inferendo bellum finitimis cives spoliare, est jus
natura violare, illorum fortunas imminuere est latrocinari, illos occi-
dere est innocentium sanguinem effundere, nec non atrox homicidium
perpetrare. Casus ibidem.

3. Contra † bella, quæ geruntur ditionis amplificandæ gratiâ, ju-
sta censentur ob sequentia. 1. Quia ubi lati sunt imperii fines, faci-
lius homines in officio continentur, utpote, quibus post patrata scelera
nullum est perfugium. Zech. lib. 1. Polit. c. 1. n. 6. 2. Quia au-
gere & amplificare imperium est patriam illustriorem & fortio-
rem red-
dere,

dere, quod sit prostratis & devictis. *hostibus* Casus loco dicto. 3.
Quia pax non nisi bello conservatur. Tholoz. lib. 11. de Rep. c. 1.
sect. 1. 4. Quia Cyrus, Alexander Magnus, imò Romani imperium
suum auxere finitimis devictis. Casus loco sæpius allegato.

Verum † pro decisione questionis notandum, quod bellum absq. 4.
causâ & vindicandi animo susceptum sit injustum & minime approban-
dum. Tholoz. lib. 11. c. 1. sect. 10. Iustum verò & legitimum, si
auctoritate tam principis quàm civitatis fiat. Zecch. lib. 1. Polit. c. 6.
n. 4. Si sint iustæ causæ, defensio videlicet proprii imperii: personarum
amicorum, locorum & rerum. Zecchius ibidem. Si sit publicè indi-
ctum ab his, qui possunt bellum movere. Tholoz. ut supra sect. 12. Si
utilitatem publicam & non privatam respiciat. Casus lib. 5. Sphær.
civ. c. 1. Si finis sit iustus, qui secundum Proclum est Iusticia. Si abs-
que passione motus & omni temeritate suscipiatur. Zecch. lib. 2. c. 4.
n. 1. Nam

————— *Facilis desensus Averni,*
Sed revocare gradum, superasq. evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est &c. Quare ut concludamus,
Tu regere imperio populos Romane memento,
Parcere subiectis, & debellare superbos:
Hæ tibi erunt artes, pacisq. imponere morem.

Finis disputationis decimæ.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.









DISPUTATIO X.
Centuriæ tertiæ
**QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM
PHILOSOPHI-
CARVM**
*In Inchyta VVittebergensi Academia
Proposita:*
PRAESIDE
M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.
RESPONDENTE
PAVLO GRANTZIN
Leoburgense Pomerano.
*Ad 21. Novembr. hor. à 7. matutinis in Auditorio Col-
legii veteris.*
VVITTEBERGAE
Excudebat Iohann. Schmidr, Sumptibus
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1607.

